



## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum  
Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs**

**Johannes <de Castello>  
Albertus <Magnus>**

**Antverpiae, 1621**

Cap. IV. Qualiter operatio humana debeat esse in solo intellectu, & non in sensibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44148**

DE ADHÆRENDO DEO LIB. 13  
suauiter & delectabiliter in ea quiescendum. Et quia in horum consummata adeptione consistit gloria beatitudinis, quæ perficietur in patria; liquet quod istorum perfecta inchoatio est perfectio in hac vita.

#### CAPVT IV.

*Qualiter operatio humana debeat esse in solo intellectu, & non in sensibus.*

**F**ELIX ergo, qui per abstersionem continuam phantasmatum & imaginum, ac per introversionem & inibi per sursum-ductionem mentis in Deum, tandem aliquando obliniscitur phantasmatum quodammodo, ac per hoc consequenter operatur interius nudo ac simplici ac puro intellectu & affectu circa obiectum simplicissimum Deum. Omnia igitur phantasmata, species, imagines, ac formas rerum omnium citra Deum à mente reiicias, ut in solo nudo intellectu & affectu ac voluntate tuum pendeat exercitium circa Deum intrate. Nempe finis omnium exerci-

A 7 tiorum

tiorum hic est, scilicet intendere & quiescere in Domino Deo intrate per purissimum intellectum, & deuotissimum affectum sine phantasmatibus & implicationibus. Huiusmodi autem exercitium non fit in organis carneis, & sensibus exterioribus, sed per quod quis homo est. homo vero quis est intellectu & affectu. Et idcirco quamdiu homo cum phantasmatibus & sensibus ludit, & eis insistit, videtur nondum exisse motus & limites bestialitatis sue, hoc est, illius quod cum bestiis habet commune. Quia illæ per phantasma & per tales sensitivas seu sensibiles species cognoscunt & afficiuntur, & non aliter, eò quod altiorem vim animæ non habeant. Secùs est de homine, secundùm intellectum & affectum & liberum arbitrium, ad Dei imaginem & similitudinem creato; quibus debet Deo immediatè, pure & nudè imprimi, & vniri, firmiterque inhærere. Quamobrem diabolus diligentissimè & maximè conatur impedire illud exercitium, quantum potest, ex quo est quodammodo præambulum & initium vitæ æternæ, inuidens super hoc homini.

DE ADHÆRENDO DEO LIB. 15  
ni. Idcirkò nititur semper mentem ho-  
minis alienare à Domino Deo , nunc  
per istas , nunc per illas tentationes seu  
passiones, nunc sollicitudine superflua  
& cura indiscreta , nunc turbatione, &  
conuersatione dissoluta, curiositateque  
irrationabili: nunc per studia librorum  
subtilium,colloquia aliena, rumores &  
nouitatem : nunc per aspera , nunc per  
contraria , &c. Quæ tamen etsi non  
numquam leuia & tamquam nulla vi-  
deantur peccata ; tamen magna sunt  
impedimenta huius sancti exercitij &  
operis. Et ideo, etiam si vtilia & nece-  
saria visa fuerint, siue magna siue par-  
ua, vt noxia & perniciosa illicò sunt re-  
iicienda penitus , & à sensibus propel-  
lenda. Summoperè igitur necessarium  
est, vt audita,visa,facta,& dicta, & ce-  
tera similia sine phantasmatibus, imagi-  
nibus & occupationibus recipiantur,  
nec etiam ex consequenti vel anteà vel  
tunc super hoc phantasmaria & impli-  
cationes formentur & nutriantur. Et ita  
quando phantasma non venit ad me-  
moriā & mentem , tunc non impedit  
hominem, siue in oratione , meditatio-  
ne , & psalmodia , siue in alia quacum-  
que

que operatione & exercitatione spiri-  
tuali; nec rursum iteratò occurret ei. Et  
sic expeditè secureque te totum, etiam  
plenè omnia & singula committe infal-  
libili & certissimæ diuinæ prouidentiæ  
cum silentio & quiete, & ipse pugnabit  
pro te: & melius, honestius ac dulcius  
liberabit te & consolabitur, quam si tu  
semper die noctuque de hoc continuè  
phantasiareris, & vana vagaque ac ca-  
ptiuia mente fatuè sic & sic, hinc & inde  
discurreres errabundus, necnon mente  
& corpore deficiens tempus perderes,  
& vires stultè ac irrationabiliter consu-  
meres. Cuncta ergo & singula, vnde-  
cumque & qualitercumque occurren-  
tia ortum habeant, sic accipe cum tac-  
turnitate & tranquillitate æquanimi-  
ter, quemadmodum de manu pater-  
næ diuinæque prouidentiæ tibi veni-  
rent. Nuda igitur te à phantasmatibus  
omnibus rerum corporearum, iuxta  
tui status & professionis exigentiam;  
vt nuda mente & sincere inhæreas ei  
cui te multipliciter & totaliter deuo-  
nist, vt nihil quodammodo possibi-  
le sit mediij inter animam tuam & ip-  
sum, vt purè fixeque fluere possis à  
vul-

DE ADMÆRENDO DEO LIB. 17  
vulneribus humanitatis in lumen suæ  
diuinitatis.

CAP V T . V.

*Decordis puritate , quæ est præ  
omnibus sectanda.*

**S**i igitur recto & seculo tramite ac  
breuiter ad finem beatitudinis viæ  
& patriæ , gratiæ & gloriæ , peruenire  
desideras & satagis ; tunc intenta men-  
te sedulò aspira ad perpetuam cordis  
munditiam , & puritatem mentis , ac  
sensuum tranquillitatem : atque cordis  
affectionem recollige , & iugiter defige  
sursum in Dominum Deum . & inter  
hæc abstrahe te à familiaribus tuis , &  
ab omnibus hominibus , in quantum in  
te est , & negotiis huiusmodi proposi-  
tum tuum impedientibus ; semper ca-  
ptans opportunitatem , ubi & quando  
possis locum , tempus , & modū reperi-  
re quietis ac contemplationis , carpens  
silentij secreta , præsentisque sæculi vi-  
tare naufragia , necnon perstrepentis  
mundi fugere perturbationes . Qua de  
re omni tempore puritati munditiæ , ac  
quieti